

*per civitates presbyteros, sicut ego tibi disposui (Tit. 1, 8).* Qui qualis presbyter debeat ordinari, in consequentibus disserens, hoc est : *Si quis est sine criminе, unius uxoris vir, etc.* Postea intulit : *Oportet enim episcopum sine criminе esse, tanquam Dei dispensatorem (Ibid., 6).* Idem est ergo presbyter qui episcopus, et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, et diceretur in populis : *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephae (I Cor. xii),* communi presbyterorum consilio Ecclesiae gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos quos baptizaverat putabat suos, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis cura Ecclesiae pertineret, et schismatum semina tollerentur. Putat aliquis non Scripturarum, sed nostram esse sententiam, episcopum et presbyterum unum esse, et aliud ætatis, aliud esse nomen officii? Relegat Apostoli ad Philippenses verba dicentis : *Paulus et Timothaeus servi Christi Jesu, omnibus sanctis in Christo Jesu qui sunt Philippis cum episcopis et diaconis, gratia vobis et pax, et reliqua (Philip. 1, 4).* Philippi una est urbs Macedoniae, et certe in una civitate plures, ut nuncupantur episcopi esse non poterant. Sed quia eosdem episcopos illo in tempore quos presbyteros appellabant, propterea indifferenter de episcopis quasi presbyteris est locutus. Adhuc alicui hoc videatur ambiguum, nisi altero testimonio comprobetur. In Actibus apostolorum scriptum est (*Act. xx, 17*), quod cum venisset apostolus Paulus Miletum, miseri Ephesum, et vocaverit presbyteros ejusdem Ecclesiae, quibus postea inter cetera sit locutus : *Attende vobis, et omni gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos pascere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo (Ibid., 28).* Et hic diligentius observate, quomodo unius civitatis Ephesi presbyteros

A vocans, postea eosdem episcopos dixerit. Si quis vult recipere epistolam, quæ sub nomine Pauli ad Hebraeos scripta est, et ibi æqualiter inter plures Ecclesiae cura dividitur. Siquidem ad plebem scribit : *Parete principibus vestris et subjecti estote : ipsi enim sunt qui vigilant pro animabus vestris, quasi rationem reddentes, et ne suspirantes hoc faciant : siquidem hoc utile vobis est (Hebr. xiii, 17).* Et Petrus qui ex fidei firmitate accepit nomen, in epistola sua loquitur dicens : *Presbyteros ergo in vobis obsecro, compresbyter, et testis Christi passionum, qui et ejus gloriae, que in futurum revelanda est, socius sum : pascite eum qui in vobis est gregem Domini, non quasi cum necessitate, sed voluntarie (I Petr. v, 1).* Hæc propterea, ut ostenderemus apud veteres eosdem fuisse presbyteros quos episcopos; paulatim vero ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam. Sicut ergo presbyteri sciunt se ex Ecclesiae consuetudine ei qui sibi præpositus fuerit esse subjectos; ita episcopi noverint se magis consuetudine quam dispositionis Dominicæ veritate presbyteris esse majores, et in communne debere Ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui cum habebat in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit cum quibus populum judicaret. Videamus igitur qualis presbyter sive episcopus ordinandus sit. *Si quis est sine criminе, unius uxoris vir, filios habens fideles; non in accusatione luxuria, aut non subditos. Oportet enim episcopum sine criminе esse, tanquam Dei dispensatorem, et reliqua (Tit. 1, 6).*

C Si autem controversiae fortuna iste alicui disputerint, non supercilium tumoris Christi imputetur vernaculis, quia non evidenter in prefata propositione potuit inveniri responsio rationalis, quæ videlet præstantior esset auctoritate docentis.

ANNO DOMINI DCCLXXI.

# HERARDUS TURONENSIS ARCHIEPISCOPUS.

## NOTITIA HISTORICA EX GALL. CHRIST.

HERARDUS designatur archiepiscopus sub anno 855, uti assertur in brevario capitulorum quæ in synodo ab omnibus ipsis parceret sacerdotibus et clericis tenenda ordinavit. De his mentio habetur in chronicis Vindocinensi et Malleacensi, quod serius ordinationem Herardi assignat sub an. 858. Constituitur concilio apud Saponarias judex in libello proclamationis Caroli regis adversus Venilonem, Senonensem archiepiscopum, an. 859; cui commonitorum dirigit, subscriptusque habetur in Tuciacensi

D an. 862, et Suessionensi in, an. 866. Quo loco in epistola synodica episcoporum ad Nicolaum summum pontificem memorantur Britonum in provincia Turonica excusiones : « Vestram, siquidem non latere beatitudinis excellentiam novimus, diœcesim Turonicam austeritate Britonum, diutino a sua metropoli divulsam penitusque discussam : ita ut, sicut idem Turonicus metropolitanus Herardus, pariterque Naneticus Actardus frequenti indagine, necnon etiam in præmissa Suessionica synodo evidenter atque mul-

tiplici stylo, pariter et sermone nobis intimavere, **ad** jam vicenus et eo licet paululum adsit annus, quo tyrannica feritate resumpta, nec coiprovincialia cum Turonico metropolitano celebrent concilia, nec in episcoporum consecrationibus, ad eundem quidquam respiciant, illi quoque sedi nullo pacto se subdant. Interfuit Trecassino concilio an. 867, et conventui præsumum Rhemensis provincie Hincmaro metropolitano, pro examine Vuiliberti, Turonici pagi indigenæ, ordinandi episcopi Catalaunensis : ad eum vero dirigitur epistola Nicolai papæ, et cap. 10, *Notum sit*, quæst. 1. Littera Hincmari apud Flodoardum lib. iii, cap. 20, et epist. 118 Lupi Ferrarensis. Nominaatur et in tabulis fundationis abbatiæ S. Salvatoris de Villalupe; ratamque habet donationem factam an. 862 fratribus ecclesiæ S. Martini Turonensis,

A per Carolum piissimum regem, de villa Lirado, ad quam declinationis consugium facerent, si eorum fraternitatem paganorum incursus pervaderent, ut habet tabularium S. Martini. Interim cum Nomenoïus, dux Britannorum, qui e quatuor episcopatibus Britannæ septem fecit, tribus novis constitutis, in præjudicium Turonensis archiepiscopi, sedem Dolis esse jussisset, et episcopi provincie Aremoricae, a Turonensis metropolitani sui jurisdictione se subduxissent, obstatore Franci ac pontifices, Nicolaus in primis, qui ad Salomonem regem scribens circa an. 866, ep. 56, nullam ad hæc tempora extitisse memoriam observat, Brittones in sua regione ullam habuisse metropolim; sed discidium sub Innocentii III pontificatu dirimitur, ut observat Sirmundus notis ad Caroli Calvi Capitula.

## CAPITULA HERARDI,

ARCHIEPISCOPI TURONENSIS,

*Collecta ex Capitularibus regum Francorum.*

(Apud Baluzium, Capitul. tom. I, pag. 1235.)

Capitula excerpta ex corpore sanctorum Canonum pernecessaria ab Herardo, sanctæ Turonicæ sedis archiepiscopo nutu divino, in sancta ipsius synodo tenenda memoriter ab omnibus ipsius parœciæ sacerdotibus et clericis omnibusque valentibus.

In nomine Dei solius. Ego, Herardus, immerito Furonensium pontifex, anno incarnationis Dominicæ 858, ordinationis quoque nostræ III, indictione VI, cernens Ecclesiam mihi commissam partim negligenteria, torpore vel desidia, partim præsidentium [s. præcedentium] incuria sacerdotum atque ignavia, variis et innumeris cladibus affici, excidiis concuti, et, quod dictu actuque gravius fore comperimus, diversis animarum laqueis ac quotidianis erroribus deperire, instinctu, ut credimus, miserationis supernæ, perpaucula eaque admodum necessaria sacramrum admonitionum collecta capitula, sacerdotum totius nobis creditæ parœciæ generali in urbe sedis nostræ coadunata xvii Kalend. Junii synodo, publice recitari; et ut ad omnium præsentium notitiam et intelligentiam pervenire valerent, coram cunctis perlegi fecimus et revolvi. Et quoniam auctoritas sacra canonum nulli sacerdotum canones ignorare permittit, ne quemquam in reliquo nobis commissorum hujus ordinis expertem noverimus canonum, decrevimus pariterque injunximus excerpta per nostri laboris studium hæc modica succinctaque capitula unumquenque habere in posterum.

\* CAP. I. (Capitul., lib. vii, cap. 264.) Ut in synodo prius generales causæ, quæ ad normam totius Ecclesiæ pertinent, finiantur, postea speciales ventilentur.

II. (i, 15, 75, 159; v, 153; vi, 189, 205, 318; vii, 276.) De die Dominicæ, ut a vespera usque ad vesperam celebretur; et ut servilia opera, et verba

turpia, atque mercata, causarum audientiæ, conventusque publici, absque ecclesiasticis prohibeantur.

III. (i, 16, 21, 62; v, 69; vi, 66, 215; Addit. ii, 21. Vide Regin., lib. ii, cap. 564.) De ignotis angelorum aliorumque sanctorum nominibus, ut non recitentur. Et de maleficiis, incantatoribus, divinis, sortilegis, somniariis, tempestuariis, et brevibus pro frigoribus, et de mulieribus veneficis, et quæ diversa singunt portenta, ut prohibeantur et publica pœnitentia multentur.

IV. (i, 2, 82, 136; v, 40; vi, 217.) Ut clerici per tempora constituta ad ordinationem gradatim veniam, et non confuse; et ut fides et vita eorum, libertas et tempora inquirantur.

V. (i, 5; iii, 90; v, 38; vi, 378; vii, 53.) De usuris omnibus fidelibus prohibendis, clericis ac laicis. Et de mensuris et ponderibus, ut justæ et æquales habentur.

VI. (i, 22.) Ut nec clerici nec monachi ad sœcularia negotia transeant.

VII. (i, 28, 38; v, 70.) Ut si clerici aut monachi inter se habent negotia, apud episcopum finiantur, et non apud sœculares. Sin alias, excommunicentur.

VIII. (vii, 210.) Ut nullus laicorum quemquam clericorum absque permisso episcopi compellat ad causas ire ad publicum. Et qui fecerit, donec corrigit, ab Ecclesiæ societate pellatur.

IX. (i, 32, 76; v, 72, 316 et seq.) Ut fides prædictetur omnibus fidelibus a presbyteris, incarnatio,

\* Vide inter Caroli Magni opera, Patrologiae tom. XCVII, Benedicti diaconi Collectionem Capitularium, ex qua hæc sumpta sunt passim. Edit.